



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

De vino assumendo à Sacerdote post assumptum Sanctissimum
Sanguinem Cap. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

cap 7. §. 1. num. 1. quoad lotionem
verò, ibidem § 7. quare cum ea hic
exscribere operam esset perdere,
illuc Lectorem meum remitto li-
bens.

CAPUT IX.

De vino assumendo à Sacerdo-
te post assumptum Sanctissi-
mum Sanguinem.

1. **F**inem hujus libri imponet
resolutio circa vinum, quod
id sine Sacrificii sumit in Missa Sa-
cerdos. Is enim post assumptas sa-
cras species, imponere vinum de-
bet in Calice, & sumere, atque hæc
vocatur in Rubricis, Purificatio;
deinde vero vino, & aqua digitos
super Calicem abluere, eaque pa-
riter assumere, quæ proprio voca-
bulo appellatur Ablutio. De utra-
que sigillatim.

2. Dico

2. Dico primò, eum, qui in Ablutione solum adhibet aquam condemnandus de culpa non esse Ratio prima esse potest, quia passim absque scrupulo sic agunt nonnulli laudatæ virtutis Sacerdotes, ajūtque id, prodesse ad abstergendum odorem vini ab ore celebrantis, ad digitos eodem odore non inficiendos, ad Purificatorii munditiem, & ut sunt non pauci plus debito delicatiores, ad temperandum illud modicum vini (quod non raro in Sacrificio generosum propinatur) assumpti stomacho pœne jejuno. Secunda, quia hæc non est nisi Rubrica directiva, cum non appareat aliud fortius jus, nec ex se sit materia gravis. Immò quia invenio de vino adhibendo in Purificatione aliquid innui in Sacris Canonibus, quorum verba mox proferam, nihil autem de vino Ablutionis conjecturam facio de hoc, Sanctos Pontifices nū valde laborasse. Ter-

ria, quia cum *a* Sanchez adverte in Rubricis generalibus *b* initio Missalis sic haberi. Sacerdos porrigit Calicem Ministro, quo vinum fundente, se purificat. Deinde vino, & aqua abluit pollices, & indices super Calicem, an in Rubricis *c* appositis in Canone sic. Infundit parum vini quo se purificat: deinde abluit digitos extergit, & sumit absolutionem. Ubi noto de vino Purificationis utroque in loco mentionem fieri, de Ablutionis autem vino solum in uno, quasi significetur nequaquam esse sub magno rigore hoc posterius apponendum.

3. Dico Secundo, Ad Purificationem est omnino adhibendum vinum non aqua. Ratio est, quia sic supponit ritè faciendum Sacerdotis. *d* Respondemus, inquit Pontifex,

a Sanchez mox citandus. *b* In rubr. gen. initio Missal. §. quibus sumptis *c* In rubr. can. post sacram Communionem §. Abluit digitos. *d* Ex parte de celebr. Miss.

tifex, quod semper Sacerdos vino per-
 fundere debet, postquam totum accepe-
 rit Eucharistia Sacramentum, & qui-
 dem notat hic merito Gavantus a
 in hunc modum. Deceret ut vinum
 pro Purificatione Calicis infusum, es-
 set ejusdem saltem quantitatis, qua
 fuerunt primæ species sanguinis alio-
 quin Sacerdos illud saltem intra Cali-
 cem circumagat, ut absumentur dictæ
 species. Monet de prædicta vini ad Puri-
 ficationem adhibenda quantitate. b
 Pius V. additque quod sumatur ablu-
 tio per eandem partem Calicis per quam
 Sanguis Christi haustus est. Mirare
 queso Sanctissimi Pontificis etiam in
 minimis diligentiam. Hæc Gavan-
 tus.

4. Verum qui pro dicta Purifi-
 catione adhiberet solam aquam
 condemnandusne esset peccati
 mortalis?

Ccc 7

Respon-

a Gavantus in rubr. Miss p. 2. t. 10.
 n. 5. lit. x.

b Pius V. in Epistola ad Episcopum
 Tarrac.

Respondeo. Sanchez a Azor & Barbosa cesserunt de vino Purificationis adesse præceptum, non tamen explicant gravene sit, an leve. *Ne voto non bibendi vinum* (instar omnium sunt verba Sanchez) contravenitur sumpto vino in prima Missæ ablutione (i. Purificatione) quia obligat præceptum Ecclesiæ ad id sumendum & ex parte de celebr. Miss. nec etiam sumpto vino in secunda ablutione, quia votum non intelligitur ut sit contra communem Ecclesiæ usum, juxta quem Sacerdotes in ea ablutione vino, & aqua utuntur. Addit Gavantus d sic. *Abstemii* (i. quibus vinum bibere nausea est) non debent sine vino purificare Calicem. Papa inconsulto, ex Romana praxi.

5. Alicui non videbitur improbabile, id nequaquam esse præceptum

a Sanchez in Decal. l. 4. c. 11. n. 43.

b Azor t. 1. l. 12. c. 10. q. 7.

c Barbosa in Coll. ad lib. 3. decr. in e. ex parte n. 4.

d Gavantus loc. cit.

ptum grave, atque adeò adhiben-
tem in Purificatione solam aquam
excusari à mortali posse. Primo,
quia res ex se non videtur tanti
momenti, ut rigorem mortalem
inducat, cum illud vinum non ad-
hibeatur ad mysterium, sed solum
ad extergendum Calicem, ad quod
præstandum apta quàm sufficit.
est aqua. Secundo, quia prædictus
textus dicit: *vino perfundere debent*,
at illud verbum *debet* non necessa-
rio inducere obligationem supra
à fusè probavimus. Tertio, quia
non directè, & ex proposito id jus-
sit Pontifex, sed veluti suppositivè
insinuavit, ut ex modo loquendi
facti textus, quem mox expendam
numero 10. palàm fiet. Quartò,
quia praxis Romana, ut scilicet
in hoc consulatur Pontifex, po-
tuit inniti periculo introducen-
di novum ritum, vel relaxandi
præcepta etiam levia. Adde ejus-
modi

a *In opusc. de Commun. c. 1. §. 6.*

num. 53.

modi dispensationes sæpè à Sancta Sede concedi ad sedandas mentes scrupulosiorum: ut in simili supra a notavimus ex Suario, & Castro-palao.

6. Ex hac sententia, quæ certè probabilis est, consequitur Abstemi-um, vel non habentem nisi illud modicum vini, quod est consecran- dum, vel non ab simili necessitate coactum, cui facilis non est recur- sus ad Pontificem, aqua sola purifi- cantem, sed citra contemptum, scandalum animumque introdu- cendi novum ritum, ab omni cul- pa liberandum, similes enim ne- cessitates à præcepto positivo non gravi, ut alias sæpè docuimus, ex- cusant operantem.

7. Dixit quidam forè ex se irre- verentiam, quod Sacræ Sanguinis species, quæ resident in fundo Ca- licis immisceantur cum aqua.

Respon-

a *Supra lib. 1. cap. 2. §. 2. numer. 11. fine.*

Responderi potest negando id sapere irreverentiam. Prima, quia etiam in secunda Ablutione, in qua adhibetur aqua, hæc immiscetur cum iisdem speciebus, quæ moraliter non raro aliqua remanebunt post haustam Purificationem, in Calice, quæ tamen immistio non iudicatur ab Ecclesia irreverentia. Secundo, quia id per accidens est, nec ex proposito immiscendi aquam cum sanguine, sed ad extirgendas sacras species. Tertio, Rogo te explica, sodes, quamnam hic irreverentiam cognoscis? equidem illam minus video, video potius ex eo, quod Christus Dominus sub speciebus materialibus latere dignatus est, nec designatum consequenter esse easdem species cum oris saliva, stomachi phlegmate, vino, aqua indiscriminatim commiseri. Quarto, quia in sententia admodum a probabili juxta quam aqua-

a Thomista communiter apud Co-
 ninch. de Euc. q. 44. ar. 8. d. un. à n. 144

aqua quæ infunditur. Calici in Of-
fertorio, non convertitur in Chri-
sti Sanguinem, nisi prius conver-
tatur in vinum, sæpe contingit ut
quia tempore consecrationis non
invenitur conversa, remaneat im-
mista cum speciebus cōsecratis, &
nemo umquam adversus ejus len-
tentiaē sectatores irreverentiam
ullam ex hoc capite exprobravit.

8. Redeo nunc ad Ablutionem,
num. 2. dictam digitorum Sacer-
dotis, circa quam cum Glossa di-
sputare breviter juvat. Ea in hoc
c. ex parte sic scribit. *Secundum Ho-
stiensem determinantur quatuor qua-
stiones nam Primo quarebatur. An
Sacerdos post Sacramenta sumpta per-
fundere debent manus. Secundo, cum
quo liquore. Tertio utrum illum. Quo-
rem debeat Sacerdos sumere. Quarto
an post illam sumptam debeat, seu
possit iterum celebrare. Et in effectu
respondet Papa ad omnes quæstiones:
nam debet manus primo perfundere
cum vino; & vinum perfusionis sume-*

re,

re, nisi sit celebraturus aliam Missam,
 &c. Idem reperit paulo post: & v.
 vino & v. perfundere vino, ait debet
 perfundere manus

9. Ut ergo videamus, an solide
 sit à Glossa dictum vino esse à Sa-
 cerdote manus abluendas, integer
 dictus textus est hic proferendus:
*Ex parte vestra & infra. Postulationi
 vestra taliter respondemus, quod semper
 Sacerdos vino profundere debet post-
 quam totum acceperit Eucharistia Sa-
 cramentum nisi cum eodem die aliam
 Missam debuerit celebrare, ne si forte
 vinum perfusionis acciperet, celebratio-
 nem aliam impediret*

10. Ubi adverto. Primo petiti-
 onem videri fuisse dumtaxat de u-
 no. Nam scilicet semper à Sacer-
 dote assumendum sit vinum post
 assumptam Eucharistiam, an ali-
 quando ab eo abstinendum: id quod
 bene Rubrica notavit, dum tam-
 quam unicæ petitionis responsio-
 nem hoc capitulum cõpilavit. Sa-
 cerdos post sumptam Eucharistiam per-
 fundat,

fundat, nisi aliam Missam sit dicturus.
 Quod igitur debeat Sacerdos sive
 vinum infundere Calici, sive illud
 ebibere, sive aliud efficere, suppo-
 nitur quidem, sed non quæritur,
 ut ex ipsa Pontificis responsione
 uno contextu data apparet dilu-
 cide. Sane, si sic respondisset Pon-
 tificex: *Respondemus quod Sacerdos vi-
 no profundere debet, & praterea debet
 vinum accipere, nisi quando aliam Mis-
 sam est celebraturus,* possemus con-
 jicere plures fuisse petitiones;
 nunc vero, cum unico contextu
 data sit responsio, unica dicenda
 erit & facta petitio.

II. Adverto secundo illud quod
 hic quærendum statuimus: non
 cōstare illam explicationem Glos-
 sæ: *profundere, id est, perfundere
 manus;* non enim de manuum Ab-
 lutione Calicis prima, id est, de
 Purificatione hic locutio est. Vi-
 dit hoc ocularissimus Thomas
 Sanchez, a qui pro Purificatione
 hunc

a Sanch. in dec. l. 4. c. 11 n. 43.

hunc textum induxit ; non vero pro Ablutione : idemque facili negotio probabit perspicax Canonista in hunc modum. Afferit Pontifex semper esse perfundendum, nisi quando eodem die v. g. in Natali Domini Sacerdos celebraturus : non igitur loquitur Pontifex de Ablutione manuum. Clara est consequentia, quia Ablutio hæc in omnibus casibus est adhibenda, etiam si eodem die sit celebrandum ; sic enim reverentia requirit & sic universalis Rubrica a præcipit. Si plures, (inquit) Missas in una die Sacerdos celebret ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos Quoniam ergo Pontifex de ea perfusione loquitur, quæ non semper est adhibenda, ejus hæc dispositio solum erit de assumenda Purificatione, quæ in casu iteratæ celebrationis omittitur non vero de

a In Rubricis initio Missalis de defectibus dispositionis corporis n. 4.

de Ablutione manuum, quæ in
 nullo prorsus casu negligenda est.

12. Ex his colligere recte di-
 ctum à nobis esse num. 2. nullum
 afferri textum, qui aliquid circa
 aquam Ablutionis disponat, cum
 hic, qui adducitur, de Purificatio-
 ne modo dicto agat, non de Ablu-
 tione. Sed nos vela contrahamus,
 atque huic quæstiunculæ, immo
 & toti huic opusculo (quod
 Deo immortales sint
 gratiæ) finem opta-
 tum impona-
 mus.

F I N I S.

INDEX